

484 DE PROCVRANDA INDORVM  
doceat: à quorum confortio & fructu cur obfe-  
cro excludantur nouæ stirpes Indorum, cum  
baptizati sint sicut & nos, & Fidem eandem pro-  
fiteantur, & in mortis dilectione sibi ab Ecle-  
sia auxilium praebeti vehementer cupiant? Ma-  
gna hoc inhumanitatis in fratres genus est,  
cum præterim si qui omnium mortalium hi ma-  
xime cum extremi temporis tenentur angustiis,

*P. x. Con-  
cil. Lim.  
conf. 75.*

*A. 13.  
2. P. 2.*

*Conf. 75.*

praefatio Ecclesiastico indigant. Etenim idolorum  
Pontifices & vencifici, quorum hodie quoque ma-  
gna copia superest, qui summopere Christianæ  
religionis oblitunt, ceterosque decipiunt, iij omni  
opera & ratione ægroris periclitantibus persuadent,  
vt iuxta præfam suam superstitionem apud  
ipsoſmet conſtreantur, atque idolis ſibi placandis  
& conciliandis sacrificia offerant: multaque alia  
impie & facilege präcipiunt misericordia, qui ut ſunt  
natura timidi, minuſque ad Diaboli fraudes co-  
gnoscendas inſtruunt, tum antiqua conſuetudine  
alliciente, & mortis periculo terribi facile ciuſmo-  
di fallacibus promiliſ animum adhucit. Quam-  
obrem aduerlus hos filios Belial, veritatis inimi-  
cos, qui vias Domini rectas nō ceflant peruertere,  
& allicient animas infatibiles in æternam damna-  
tionem, opus est Christi tyronibus firmissimo aliquo  
præſidio: nullum vero excoſitari potelli diui-  
no Extrema-vnctiōnis Sacramento prästantius.

Quibus rebus adducta Synodus Provincialis de-  
cernit, & präcipit, vt ſacerdotes nullo modo Indos fideles iam rite confeffos, aut ſi minus id licuit,  
contritionis signa präfeſentes ſine hoc tam fa-  
luti remedio de vita exire patientur. Et decretum  
quidem totius Ecclesie ad omnes fideles in ge-  
nerali

SALVTE. LIBER VI. 485  
terali Concilio legimus, peculiare verò ad In-  
dos fideles in Provinciā Synode repetitum, &  
magnopere commendatum cernimus: utrumque  
vero re ipſa vñq[ue] adeo neglectum ut pene facti-  
legij loco ſit, si quis de Indo inſtimo vngendo co-  
gitet. Neque ego ſanè intelligo quoq[ue] tam ſto-  
lida noſtrorum conſuetudo ferenda ſit.

## CAP V T XIX.

### De Sacerdotio.

DE Sacerdotio inter Indos pauca ſanè präci-  
pienda ſunt. Nam quod ad ipſos attrinet, fat-  
ſciunt ordinem eſſe ministrorum à Domino in-  
ſtitutum, & Deo ſerviant, & populo präſint, illi  
ad altaris ſacrosancta mysteria, huic ad remittenda  
peccata, & verbum Dei proponendum, authorita-  
te diuinis data. Atque velnam ut hi ſacerdotium  
venerantur, & tanquam munus cœleſte ſuſpi-  
ciunt, ita nos vita ſanctitate tanto muneri pares  
eſſemus. Illud autem prudenter eſt à maioribus  
conſtitutum, ut nemo ex Indorum genere, ſa-  
cerdotio aut gradu aliquo Ecclesiastico done-  
tur, neque ſacras uestes in ministerio induat: tan-  
cum ut liceat Indis fidelibus inſtituire altaribus  
acolythorum more, in choro psallere, adiutori-  
um offici fungi, ſuperpelliceis inter hec tan-  
tummodo indui. Nam inferiora hec ad eos co-  
hortandoſ, & in religione Christiana conſirman-  
doſ plurimum valent. Mirificè his delectantur, &

*Con. Lim.  
Conf. 74.*

H h 2 primo

primores ipsi libentissime filios suos Ecclesiasticis ministeriis, & literis imbuendos tradunt, idque pro gloria non parum ducunt. Quod vero ad superiores gradus sacros praesertim Indos euchere minime oporteat hac ex parte Ecclesia

*1. Tim. 3.* antiquissima instituta fatis docent. Paulus Apo-

stolus vetat neophytes Ecclesie praefici, ne in superbiam elatus, instar diaboli corruat ex alto. Sacra Concilia vehementer detestantur ordinationes eorum, qui in fide tyrones sunt. Nam cum ipsis cum populo damnum sit, tum vero ministerio ipsis non leuis iniuria. Quocirca admirabile est, quam seuerre facte litterae reprehendam sacerdotes factos de face populi, idque cum agatur non de sacerdotibus veri & summi Dei, sed falsorum potius: quia tamen Deorum nomen eti non numen habebant, iis attributos esse ministros plebeios, & viles, pro magno scelere ponunt, quemadmodum iurisfundi religionem etiam dii mendacibus non seruatam cadem diuina littere dominant. Sic enim scriptum in libro Regum

*3. Reg. 13.* legitimus: Non est reuterlus Hieroboam de via sua pessima, sed est contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum, quicunque volebat, impiebat manum suam, & siebat sacerdos

*4. Reg. 17.* excelsorum. In quarto quoque libro de Samarianis loquens Scriptura, Fecerunt autem sibi de nouissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in fanis sublimibus, & cum Dominum conseruent, Diis quoque seruicabant iuxta confutidinem Gentium, de quibus translati erant Samariam. Quod planè documentum non ad hoc solum valet,

*Adrian.*  
*2. in epist.*  
*ad Te-*  
*rass. in 1.*  
*Nicetia*  
*syn.*

valet, vt Indi non initientur, cum sint & inde novi, & genere obsceni, verum etiam quod ex harum stemmis & Hispanis viris concubitu perfecti flagitiose dignuntur, quoad fieri potest a sacris mysteriis contradicandis abstineant, ne sacerdotiorum vile habeatur, nisi cum vita diu probata gratitatem, & morum splendore natum obscuritatem superant. Tales esse nonnullos negare non possumus, qui & vipe honestate, nostris pares sunt, & sermonis Indici communitate superiores. Verum rari hoc exempli est. Quamobrem antiqui Canones & Provincialia decreta seruanda sunt, vt sacerdos omni ex parte populo spectabilis, & honore dignus existat.

## CAPVT XX.

*De ritibus Matrimoniorum apud Indos.*

IN matrimonio tractando latior campus occurrit, in quo parochi multa necessaria cognoscenda sunt, non solum quod sit Ecclesie sacramentum excipienda, & sananda multorum infirmitati necessarium, sed quod infideles quoque sua coningia habeant, quorum usum & ritum, abusum quoque & errores cognoscere oporteat, ne quod non raro contingit, aut vera matrimonia dirimantur, aut pro matrimonii flagitia teneantur. In omnibus docendi sunt, vt custodian immaculatum torum & honorabiles

*Heb. 13.*  
H h 3 nuptias.

488 DE PROCVRANDA INDO RVM  
nuptias. Vslum autem & vim connubiorum apud  
infideles, si omnia dicenda sunt, oratione com-  
plecti , molestissimi negotij est, cum in tanta  
barbarorum illuvie non possum non infiniti esse  
& titus , & leges matrimoniorum valde inter se  
discrepantes. Sed tamen illa ego præcipue attin-  
gam pauca de multis, quae huic Perueni regno  
ex Ingaram disciplina communiora sunt. Alij de  
suis regionibus & barbaris, aut etiam de aliis lati-  
tius pro eruditione sua dicere poterunt. Igitur  
vera coniugia apud barbaros nostros erant, ta-  
meti quod lape miratus sum, nomen non esset  
adeo, vt Hispanico, & nostri, & ipsi vtantur. Erat  
tamen sua cuique vxor, & Socraticam tempul-  
cam barbari naturali ductu oderant, & damna-  
bant. Sicut vxori fas non erat alteri nubere, ita ne-  
que viro vxorem semel ducetam repudiare. Adulter-  
ia siqua dependerentur, acerbissimo supplicio  
vindicabantur. Nam quamquam celibum apud  
istos maior licentia est, fornicacionisque labes im-  
pune habent, tamen conjugatorum adulteria se-  
uerius quam apud nos vindicatur. Stuprum quoq;  
virginibus vel Soli, vel Pachayachachi, vel Ing-  
api conferatis, quas Mamaconas vulgo vocant,  
Vestalibus professione persimiles, si quando con-  
staret illatum, tam immame sacrilegium habebat-  
ur, vt viui vterque defoderentur in terram. Et  
vulgo sene vnam nisi tantum habere licebat vxo-  
rem, cum qua vitam omnem dederet. Atque haec  
quidem naturali legi conuenienter barbari hi te-  
nebant. Sed his paucis plurima iam milieban-  
tur absurdia, & a naturali lege valde abhorren-  
tia. In primis summus ipse Princeps Ingaram,  
plurimis

SALVTE LIBER VI. 489  
plurimis stipabatur vxoribus, quamvis vna esset  
principia, quam ipsi Coya vocant, reginam nos  
dicere possumus. At haec ipsa Coya iisdem erat pa-  
rentibus genita, vt instar lotis Iunonij, regis eadē  
esset, & foros, & coix. Adeo sanctum erat, vt p̄ræ-  
cipua vxor eadem esset sanguine coniunctissima.  
Ceteri vero proceres, & ipsi plures sibi coniugio  
copulabant, p̄ræcipiamque eadem si non foros  
at confanguinitate maximè propinquam habebat.  
Erat enim id regium. Vulgis reliquum vnam, vt  
dixini priuilegio Ing ob aliquid fortiter, aut  
strenue getsum, plures licet accipere, vxorem ha-  
bebat. At illam non pro suo quisque arbitratu Eli-  
gebat: sed aur Principis, aut Ducum illius, aut po-  
puli ipsius voluntate capiebat sibi assignatam. Id  
que intra suam templeri & familiā, quod Ayllo  
vulgo dicitur. Ex qua pristina confuetudine infi-  
delium, duo apud fideles absurdā manarunt: vnum  
vt Curacae suis primores Indorū, pro arbitratu suo  
suis vxores dent, neque liberā illis eligendī facul-  
tatem permittant; alterum vt vix de alia tribu aut  
gente vxorem audeant Indi accipere, camque ob  
causam sepe cōsanguineas aut etiā foros, & no-  
uercas violent pro vxoribus. Quæ sane incommo-  
da diligentissimis parochorum studio magna ex par-  
te abolita sunt: & Concilij animaduerione plerique  
vigilare cōsperunt. Fui miserrima seruitus Con. Litt. 64  
Perueni sub Ingaram tyrannde, vt neque  
vxorem ducere, neque sacerdā biberet, neque co-  
cam mandere, neque carnibus vesci sine illius vo-  
luntate fas esset. Nunc vero qui in libertatem Euan-  
gelij vocati sunt, gratias agunt, & durissimo iugo  
excusso.

490 DE PROCYRANDA INDO RVM  
excuso , leuem Christi sarcinam alacriter portant . Est etiam pessimus quidam error , & ex errore maximus abusus coniugiorum , ( monstrosus dicere possit ) tam robuit in animis barbarorum inhaeret , ut inter Christianos etiam rarus sit , quem non teneat . Virginitas , qua apud omnes mortales in precio & honore est , apud hos barbaros vilis , & indecora habetur . Exceptis enim iis quas vel Soli , vel Inge confecratis septa sacra culti diuntur , ceterae quandiu virgines sunt , contemptas si arbitrantur , atque ita cum primum vaeat , ob uitium quemque corrumpendae virginitati sua vltro accersunt . Mariti quoque violatas offendunt , adeo non moleste ferunt , ut virginibus , si que tales ad coniugia peruenient , probro vertant , quod a nemine adamatae sint , quale in

*Baruc. 6.* Baruch feminarum opprobrium legimus . Iraque quod vbique gentium maximo ac diuino proponendum honore afficitur , inter has bellugas hominum , virginitas dedecori & ignominiae est . Quo ex errore abusus quoque ille fodinius exortus est ; vt nemo proflus vxorem sibi ducendam putet , cuius per complures dies aut menses non ante periculum fecerit . Ita , quod dicere quoque pudet , nulla est idonea vxor , que non prius fuerit concubina . Hæc tanta matrimoniorum labes adeo obtinuit , vt a nostris patribus pro magno referatur , quod Indi iam uxores virgines ducunt . Et re vera diuini verbi falce vitiola , hæc omnia amputanda quotidie sunt . Et matrimoniorum iura dicenda , & virginitatis decus ornandum atque illustrandum , quod iam tum concionibus tum exemplo Christiani populi admonitæ barbaræ

SALVTE LIBER VI. 491  
barbare quoque feminine colere & seruare cuperunt . Illud postremo dicendum est , prærogativa ac facultates à Sede Apostolica concessis in neophytorum gratiam peculiari studio debere cognosci , ne cum alias sape , tum in matrimonio iungendis Indorum labi contingat . Neve per imperitiam præpositorum imbecilles Indi ea cogantur seruare , qua fortis & antiqui Christiani vix seruant . Nam cum multa iis similia qua diximus , barbari in sua superstitione seruant , ne religionis nostre moribus contrariis proflus deterrentur a fide , Romani Pontifices nonnulli de Ecclesiasticarum legum rigore imminuendum existimarent , imitati proposito Gregorium illum magnum , cuius erga recens conuerlos Anglos paterna indulgentia literis ad Augustinum datis expressa tenetur .

*Greg. lib.*  
*11. Re-*  
*gisl. ep. 31.*  
*fol. 31.*

## C A P V T X X I.

*Quid agendum sit de coniugii infidelium  
cum ad fidem Catholicam  
conuertuntur.*

*S*ed haber frequentem apud nos , & dignam scitu questionem , cum infidelis coniugatus fide nostra suscepta baptizatur , quid de illius matrimonio sentiendum sit . Ac primum , eum qui Christianus effectus est , non posse vxorem deinde ducere infideliem , neque fidelem infideli nubere , sine villa dubitatione ex Ecclesiæ viu , & con-

*scfu*

sensu certissimum est. Nam & scelus ingens committitur, & matrimonium nullum est iuxta nostrorum doctorum concordem sententiam, tametsi, quia illi recitant, Ambrosij & Augustini cateraque decretalia non id satis efficiant. Sed consensu, ut dixi, Ecclesia satis est. De eo vero qui ante baptisimum vxorem habuit (sunt enim inter infideles vera coniugia, si secundum leges suas naturali legi non repugnantes peragantur, tametsi sacramenta vim nullam habeant nisi in Ecclesia Catholica rata fiant,) quid acturus sit, intelligendum est Pauli Apostoli preceptum. Primum enim per baptisimum non solvitur matrimonium cum infideli, quin potius, & potest, & debet cohabitare cum illo, si coniux infidelis ultra consentiat, & spes sit lucrandi illum Christum. Ita enim docet Apostolus, Si quis frater vxorem habet infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum, & mox: Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluum facies? Hoc modo Monica Partritium Augustini patrem saluum fecit. Quamobrem Synodus Limensis iuxta eiusdem Augustini contra Pollentium sententiam, praecepit fidem coniugatum cum infideli legitima coniuge cohabitare, neque alias nuptias inire permittit, quosque illa Christianam religionem penitus repudiare intelligatur. Secundum documentum sit: Si coniux infidelis fidem deserat, aut ita cohabitare velit, ut illi vel fidem, vel charitatem rebus, aut verbis descrere suadeat, tunc temporis

temporis non cogitur fidelis cum infideli vitam ducere, quin potius licebit, si ita placuerit, fidem aliena coniugem sibi copulare diremptam priori coniugio. Ita statuit Innocentius tertius, & ad hunc modum intelligendum dicit, & Pauli Apostoli verbum, & Gregorij decretum. Quod si infidelis discedit, discedat, ait Paulus: non enim servituti subiectus est frater aut soror in ciuilem: in pace autem vocavit nos Dominus. Tertium quoque sit. Cum dubium est, an coniux infidelis fidei impedimento futurus sit, & an potius illum peruersurus a vera religione sit, quam ab ipso lucifaciendus, quidnam agendum est? Nam neque contumelia creatoris manifeste appetit, neque spes etiam satis elicit illum saluum faciendi. Huic dubitationi occurrentum existimarent Patres hoc modo: ut coniux infidelis admoneatur, quantum satis est, ut religionem Christi suscipiat, quod si convenienter admonitus, omnino renuerit, intelligatur obstinatus esse voluntate, & fidelem confortio suo potius laderet quam ab illo adiuuari. Itaque separandum esse. Ad hunc modum Tolitanum Concilium decernit, Iudezi qui Christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Episcopo ciuitatis illius, ut si cum eis permanere cupiant, Christiani efficiantur. Quod si admonitioni noluerint, separantur. Huius Concilij autoritatem fecuti Patres in Synodo Limensi, ita praecipiunt, Si alter coniugum baptizari renuerit, Sacerdos adhibito notario, & testibus illum admoneat, ut intra sex menses Christianus fiat, & baptizetur, atque eandem admonitionem repeat, sive

Inno. III. cap. 62.  
 Quatuor. de Diuinitate.  
 Greco. quatuor. de Infidelibus.

Conc. Tol. 4. cap. 62.  
 23. q. 1.  
 ea. Iudei qui.

Con. Lim. conf. 36.

intra

494 DE PROCYRANDA INDO RVM  
intra illud temporis spatium saltem semel singulis mensibus. Quod si transfacto iam semestri tempore, adhuc baptizari renuerit, exinde iam in sua secta obstinatus reputandus est. Quamobrem Antistitem suum Parochus certiore faciet, ut ipse statuat, quid factio opus sit. Separationem autem illa Concilij Tolentani ego non solum quoad torum intelligo sed etiam quoad vinculum.

- Ser. in 4. Itaque licebit, vt graues quoque authores confirmant, fidei iam tunc alias nuptias conciliare sibi. Comumelia enim creatoris & periculum fidei intelligitur, cum animus coningis infidelis adeo est in sua superstitione obstinatus. Praeterea illud ex eodem Innocentio animaduentendum est, nuptias infidelium non tenere Canonis legibus, quare illa solum matrimonia irrita erunt, que cum lege naturali pugnant, quemadmodum aperte repugnat pluralitas vxorum, atque etiam repudium primae, vt Euangeliū, & Propheta docet. Quamvis ineptus quidam Theologus, vt multa alia, etiam hoc heretice & stulte assertur, Indis pluralitatem vxorum esse concedendam in Ecclesia. At vero que lege solum Ecclesiastica prohibita sunt, vt secundo aut tertio gradu contrafacta, ea rata fieri, cum veroque baptizatur, Canones sacri iubent. Cum vero plures habuit vxores, si vere vt vxores habuit adhibitis ceremoniis, & ritu patrio nuptiis adhiberi solito, illam tantummodo retinebit, quam primam esse meminerit, aut si ignorat, quemam fuerit prima, accipiet ex Indulo Pauli tertij, quam ex omnibus ipse delegerit. Quod si etiam prima illa absit, & baptizari differt, licebit ex aliis, quam velit,

d. 30. g.  
art. 2.

Cap. 4.  
Aug. 28.

Cap. 1.  
cap. uxor.

Inne.

cap. gam-

demus di-

uisoriū.

Mat. 19.

Luc. 16.

Mal. 2.

C. Gaudie-  
mus de  
diuersoriū.

Conf. 37.  
Concil.  
Lim.

## SALVTE LIBER VI.

495

velit, sumere, ita concede Pio quinto Pontifice Maximo, qui nullo modo Innocentio tertio contrarius est. Quandocunque autem vxor infidelis ad fidem convertitur, si nondum aliam Christianam accepit, tenetur illam fidelis accipere. Hec pro regionum harum difficultatibus ex sanctorum Patrum decretis perfrinxisse sufficiat: plura & clariora authores tradent.

Eodem e.  
Gaudie-  
mus.

## CAPVT XXII.

*De impedimentis Matrimonij explican-*  
*dis, & iuuenibus colloquandis.*

Im vero in matrimonii celebrandis summo-  
pere Patochi curare debent, ut impedimenta  
Ecclesiasticae capte & proponantur, & explicitentur,  
ne quod crebro sit, per ignorantiam illegitimas  
Indi nuptias iungant. Quod si quando de indu-  
stria & malitia impeditamentum dissimulatum,  
aut rectum esse deprehenderint, ut Provincialis  
decreta habent, graniter in reos animaduentant, Con. Lim.  
praesertim Curacas ceterosque primores, quo-  
rum nequitia solent incestuosa nuptias frequenter  
conciliari: vt reliqui exemplo aperte do-  
cti discant in solemnibus monitionibus aut Ban-  
nis explorata impeditamenta manifesta facere. Sunt  
autem monitiones in sacro Concilio Tridentino  
præcepta, inter Indos potissimum obseruande, ut  
nuptiae publicentur corum qui coniugati volunt,  
inter eos, quibus maximè noti sunt. Impeditamenta  
verò

conf. 56.

*Sess. 24.  
cap. 4.*

*S. Anger.  
lus Syl.  
us. dis  
pens. 9.9.  
Natura  
cap. 21.  
2.86.*

verò apud hos sigillatim exponenda sunt, quibus & ignotum est ius, & pro verulta confutidine frequens est prohibita coniugia appetere. Itaque explicabit Parochus, quod faciunt peritiores, quibus gradibus confanguinitatis, quibus etiam affinitatis, quibus spiritualis cognitionis nefas sit coniugia iniare. Maximè vero insistet in declarando impedimento ex formicione primo, aut secundo gradu admissa. Vulgarē quippe est Indis earum sorores, aut neptes, aut materteras, aut consobrinas ducere, quas flagitiis polluerunt. Atque equidem per quam optarem, vt in iis gradibus, sicut duo reliqui à Tridentino Concilio sublati sunt, esset penes Episcopos Indicanos dispensandi facultas cum neophytiis, præsertim cum essent iam matrimonia contracta, & aut vterque coniux impedimentum nesciuit, quod fieri potest, aut saltem vnu corum. Hos enim iubete prorsus, se contineare, aut Romanā visque petendā dispensationis causa proficii nimirum profectō est. Atque in secundo saltē gradu ex formicione occulta posse Episcopos nostros dispensare, quia Sedes Apostolica commode adiuti non potest, & periculum est in mora, authores non ignobiles sentiūt, quorum nos iudiciū fecuti Archiepiscopo Limensi, vt nonnunquam dispensaret peritusimus. Illud quoque experientia docet Indos à prima adolescentia attate collocare periculum esse, ac multo magis adolescentulas Indas, quod re ipsa compertum sit, māritatas foeminas omnium esse castissimas, quae si cœperint ante nuprias libidini frēna laxare, per reliquam attatem præcipites ferantur necesse est. Erit ergo non mediocris officij, vt Parochus ho-

*SALVTE. LIBER VI. 497*  
*nestas nuptias suadear atque concilier, parentes de liberis collocandis admoneat, metum omnem Curacarum adimat; iuuenes ipsos conueniar, & Christiani coniugij sanctitatem doceat, fidei & catechesis Christianæ rationem exposcat, peccata ritē confiteri moneat; statim vt mutuo consenſu contraxerim matrimonium, in Ecclesia solemnes benedictiones impendat, vt simul, quemadmodū est à nostris Praefatibus ordinatum, & nupicias fiant, & ab Ecclesia benedicantur. Mox vt nupcialia omnia legitimè peracta fuerint, omni illa superstitiosa temulentia & compotatione amputata, in qua diabolo per suos Areitos, aut Taquies initiantur, honesta tantum religiosi coniuij latitia concessa patre grauiterque monere, quia sint Christiani matrimonij leges, qua disciplina domestica, quomodo Ecclesia frequentanda, mane & vesperi quotidie orandum, filij educandi in fide, & timore Domini, vt quamvis pauperem vitam degant, multa bona habeant, si timuerint Deum, & illius mandata seruauerint. Hoc est enim omnis homo reliqua omnia vanitas vanitatum. Haec tamen de Sacramentis Indis administrandis, pro instituto nostro pauca de multis: quæ certè pro explorata harum regionum conditione magis opportuna existimauimus.*

*Conf. 68.*

*Tob. 4.  
Eccl. 12.*

## CAPVT XXIII.

*Quibus ex rebus Indorum salus maximè  
pendeat, peroratio.*

CVM de procuranda Indorum salute satis multa , vt potui,dixerim , tamen illa omnia non magni ponderis futura scio , nisi tria quedam veluti capita vniuersi huius instituti, pro rei dignitate seruentur. Primum, vt Christiani Principes & Praefecti , & Magistratus Christi iugum suave & onus leue Indis ad fidem se recipientibus, vt sit, esse permittant,id est, vt tributorum, exactiorum, laborumque onera valde moderentur, sciatque Barbari se ipsoſ porius quam sua quari, & quod habent Caroli Cæſaris regia edicta , rebus ipſis intelligent , Christiano dominatuſ ſe porius leuani, quam premi , Leges quoque non proſtitutae duras, & infuerat barbaris ferant: fed quoad per Christianam , & naturalem legem liceat , finantur institutis ſuis viuere , atque in iis ipſis , & dirigantur, & perficiantur. Etenim perdifficile eſt omnes leges, & conſuetudines patrias, & gentilitias mutare: & ſatis profecto eſt, vt illa abrogare cogantur, quæ ſunt Euangeliō & Ecclesiæ Christianæ contraria , quæ in tam corruptis moribus, in tantis ignorantiae tenebris ſatis multa ſunt. Cetera ſi protinus auferre contendas, ac non tempori ipſi optimo magiſtro ut emender comititas, reddes Christianismum odioſum , & grauem. Omitto quod

## SALVTE LIBER VI.

499

quod prudentissimus quisque & rerum Indicarum peritiſſimus eiūſmodi nouas leges , & mutationes cenſer ipsi recip. temporali , & Indorum, & Hispanorum admodum pernicioſas, quod barbari neque noſtra tenent , neque ſua finuntur agere: ex quo rerum omnium perturbatio conſequatur necelle eſt. Sed vt hoc omittam , certe fides , & amor Christi cum dura tributorum, & operarum, & legum ſeruitio Christianitatis prætextu non bene conſta. Migravit Iudas , id eſt, fidei confeſſio , vt sancti patres interpretantur , propter afflitionem, & multitudinem ſeruitutis. Selaci Agyptio regi traditi ſunt diuinitati Iudei , vt ſciant, ait Deus, diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarum. Nisi ergo Christianis principibus & magiſtratibus prima cura ſit ſalutis Indorum , ac non prouentuum censuſque regalis ( nam horuſtē iſta quoque quari poſſunt ſed ſecundo loco ) parum admodum apud Indos religio Christiana proficit. Hoc igitur primum eſt. Deinde illud, vt praefules Eccleſie Indicanæ iij praeficiantur, qui zelum Dei habeant , & filii potius theſaurizent, ac non ſolum ſuſ libenter impendant, ſed ſe ipſos etiam ſuperimpendant pro animabus ſuorum, licet plus diligentes minus diligantur à ſuis. Denique quorum eſt inſigne verbiſ rebuſque expreſſum. Non veſta ſed vos. Quod ſi Deus , vt apud Prophetam loquitur , daret paſtores iuxta cor ſuum , Epifco- pos inquam , & Parochos , quales deſcribit Apoſtoli , plurimos ac lætiſſimos greges ex hoc agro Indicano paſcia coeleſtia quotidie exciperent. Ut eſſent autem paſtores eiūſmodi , ( nulquam enim tantopere oportet eſſe lætiſſimos ) examinanda

*Tren. i.**2. Par. 12.**2. Cor. 12.**Hier. 3.**1. Tim. 5.**Tha. 1.*

I i eſſet.

500 DE PROCVRANDA INDOVRM

etlet doctrinae explorandi mores sine auaritia, per-  
spiciendus animarum zelus, & laborum pro Chri-  
sto tolerantia. Verè enim in his nouis Ecclesiæ  
populis antiqui temporis, & Apostolici pastores  
esse deberent. Postremo, religiosi qui ad has re-  
giones pro regia liberalitate, & fide, copiosè traui-  
mittimus, non fortuito, aut pro libidine, aut etiam  
avaritia cuiusque sed coelesti vocatione ducti ve-  
nianus, quantum referat, vix dici potest. Nihil  
perinde nocet huic Ecclesiæ atque mercenario-  
rum, & sua querentia turba. Quid vero in cau-  
Matth. 2.  
sa Dei agant homines animales, spiritum vix ha-  
bentes? Pauci numero, virtute præstantes opus  
Domini potius promouent. Quandiu ergo reli-  
giosi, auxiliares his regionibus dati, non mitren-  
tur diuinitus, neque prædicare, neque audiri fru-  
ctuose satis poterunt, si Paulo Apostolo credimus.  
Matth. 10.  
Qui vero in primis humiles, animarum amantes,  
Christum sibi imitandum existimantes, illius cru-  
cem, & mortificationem in corpore suo circun-  
ferentes hoc venerint, celestes thefauros, delicijs  
que omni opinione maiores certissime inuenturi  
sunt. Sed quando hoc fieri? Quando homines esse  
homines desinent, & humana sapere, humana  
quætere, humanis inhiari? Apud homines planè  
39.  
hoc impossibile est, apud Deum autem omnia  
possibilia. Nunquid quia hoc difficile est in oculis  
Zach. 10.  
populi huius ideo difficile erit in oculis meis?  
Dicit Dominus. Indorum certè copiosissimam,  
& parafissimam segetem cernimus, neque aliud  
quam falcam Euangelicam expectantem, & si ha-  
c tenus fortasè quibusdam minus Dominico hor-  
re idoneam existimatam, sed iam rebus ipfis,  
fide,

SALVTE LIBER VI.

501

fide, constantia, ardore animi, alacritate admira-  
bili se se celorum Regno aptissimam proclaman-  
tem, inuidorum & segnium calumnias facile pro-  
pulsantem, operarios ipsos latissime allicientem,  
& multitudine, & vberitate oculos omnium ad  
se se arque animos conuententem. Quid ergo su-  
pereft: Nisi vt impensissimè dremus Dominum  
messis, vt mirat ipse diuinitus operarios in mes-  
sem suam. Plus preces lachrymâque nostrorum,  
vbicunque illi sunt, apud Deum efficere, quam  
nostris omnes conatus, & operas, certum est.  
Ferant igitur opem quicunque Dei amantes, &  
salutis hominum studiosi apud benignum Re-  
demptorem habeti volunt, & quibus possint mo-  
dis, sacrificiis, precibus, lachrymis, tum consilio,  
opera, sudoribus, & sanguine ipso si opus sit, char-  
tissimam Christo Iesu, tot gentium salutem pro-  
sequantur.

Matth. 5.